

ceptus talis, prout in mente est, habet suum esse, tam proprium, quàm vicarium, quorum neutrum in mente omnino nihil est.

EXERCITATIO XVIII.

Cur in ideis nostris non detur progressus in infinitum, sed ad primam earum causam exemplarem necessario veniatur.

I. **S**cripsit Cartesius Meditatione tertia: *quamvis fortè una idea ex alia nasci possit, non tamen hic datur progressus in infinitum, sed tandem ad aliquam primam debet deveniri, cujus causa sit instar archetypi, in quo omnis realitas formaliter contineatur, quæ est in idea objectivè.*

2. Quod perinde ferè est ac si dixisset, *quamvis fortè vicarius alterius vicarii quis esse possit & hic iterum alterius (ex. gr. rex est vicarius Dei in terris, is iterum habet vicarium in exercitu, ducem scilicet, hic iterum vicarium habet, quem vocant Lieutenant) tandem tamen ad aliquem primum vicarium est deveniendum, qui institutus sit ab aliquo principali, à quo tota vicarii potestas & authoritas derivetur, tanquam à primario & primo ejus possessore.*

3. Seu